

que fratres *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto* perdicere, tanquam vere humilis ancilla Domini inclinans permansit.

Post hæc erigens se, vultumque ad fratrem in angustia constitutum dirigens, mellifluis verbis consolata est eum, dicens: « Homo Dei, cessent lacrymæ jam ab oculis tuis, et amaritudo mœroris quo cor tuum vehementer affligitur recedat a te, quia est merces operi tuo, qui summæ innocentie altissimæque charitatis Domini ac Filii mei, pro modulo tuo imitator effectus, adversarii tui violentiam non solum æquanimiter tolerasti, verum etiam salutis ejus piam sollicitudinem gerens, in luctu et lacrymis temetipsum pro eo in conspectu Domini humiliare non dubitasti. Quapropter noveris me, ob sinceram fidei tuæ devotionem, tam tibi gloriam, quam æmulo tuo veniam a Domino impetrasse. » Frater vero, qui ad tantam secretorum celestium celsitudinem admissus fuerat, ut cunctis ordinibus angelorum reverendam matrem Domini carnis oculis videret, nil territus (neque enim turbari poterat, qui suavitate matrem et securitatis videbat), fiducialiter dixit ad eam: « Obsecro, Domina, quæ es tu, quæ sic dignanter loqueris ad cor servuli tui; vel quis est juvenis iste qui tecum est? — Ego sum, ait, Maria Mater Dei; juvenis vero iste Joannes est evangelista, cujus castis obsequiis, benignissimus Filius meus in cruce pro nostra pendens salute, me commisit. » Et frater ait: « Si ergo tu es illa, per quam salus humano generi venit, quam reveretur et laudat universitas creaturæ; cur quæso et tu tanquam una de cæteris, ipsis etiam potestatibus angelicis honorandum caput tuum inclinas? » Piissima Domina respondit: « Scire debes quia quotiescunque gloria sanctæ Trinitati cum metu et reverentia exhibetur in terris, toties omnes virtutes cælorum commoveantur, et ad laudem sui Creatoris excitantur. »

His dictis, visio beata ab oculis videntis sublata est. Porro tam mirifica nectarei odoris suavitas eadem hora apparitionis beatæ Virginis, non solum fratris illius, qui mœrore et anxietate tabescebat, verum etiam cunctorum tunc in choro devote psallentium penetralia cordis adeo gratiosa inspiratione refecit, ut facile daretur intelligi, non materialium aromatum fragrantiam illam, sed divinæ plane fuisse virtutis: *Quis loquetur potentias Domini; auditas faciet omnes laudes miserationum ejus (Psal. cv.)* Vere investigabiles sunt viæ ejus, et incomprehensibilia opera pietatis ipsius. Lividus namque ille detractor et accusator innocentis fratris sui, qui, quantum in se fuit, proximi vitam pariter et honorem crudelis mendacii gladio extinxit, cum juste prorsus terribili illa sententia percussus fuisset, qua Dominus dicit ad filios Israel: *Si ambulaveritis ex adverso mihi, ego quoque adversus vos incedam, et corripiam vos septem plagis propter scelera vestra (Levit. xxvi)*; et illud de Psalmo: *Dilexisti malitiam super benignitatem, propterea Deus destruet te in finem (Psal. li)*; cum hoc, inquam, dignus fuisset audire, non tamen hoc audivit; sed, interveniente patientia innocentis, fraternæ quoque charitatis pro se pie gementis humillima intercessione, potius audire meruit evangelicum illum Patremfamilias prodigo filio viscera pietatis exhibentem, et dicentem: *Cito afferte stolam primam compunctionis, et induite eum, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus, et date annulum aureum confessionis in manu ejus, ut lotus aquis confusionis, quæ gloriam adducit in salutem, (quia in confessione omnia lavantur), signaculum innocentie recipiat, et date calceamenta fructuosæ penitentie in pedes ejus (Luc. xv)*, ut ambulans vias justitiæ, de cætero non offendant ad lapides malitiæ pedes affectionum suarum. Enimvero ubi suavissimi illius odoris fragrantia, qui de virgineo corpore intemperate Dei Genitricis erupit, inter cæteros, qui hæc

gratia digni habitus sunt, etiam livore et odio tetrum pectoris ejus antrum tetigit, mox vehementer compunctus, et illo igne quem Dominus Jesus mittit in terram salubriter inflammatus, cepit jam scelus suum veritatis lance trutinare, se reum, se miserum, seque omnibus tormentis dignum reputare, fratris quoque sui, quem falso crimine infamaverat, innocentiam consequenter beatificare.

Denique redarguentis se conscientie stimulos ferre non valens, proposuit in animo suo se ab omnimoda fratris sui insectatione cessaturum, concinnati quoque facinoris fabula per confessionem patefacta ad arbitrium abbatis sui, se ei quanta posset humilitate satisfactorum. Mane autem facto fratribus non sine magna admiratione inter se quærentibus quidnam tanti odoris suavitas, quam quærentes psallentes senserant, portenderet. Is qui noctu mysterii conscius erat, abbatem secretus adit, quæ viderat quæque audierat simpliciter pandens, ipsamque horam apparitionis beatæ Dei genitricis fuisse, qua psallentium naribus celestis suavitas fragrantia infusa est, asseverans. Abbate vero stupente, difficilisque fidem dictis adhibente, magnitudine quippe tam gloriosi miraculi æstimationem personæ supergrediente, ecce in astipulationem veritatis malitiosus ille infamator innocentis fratris sui pallens et tremens advenit, detestandi criminis scenam livore invidiæ cogente fictam potius a se quam veritate subnixam, flens et ejulans confitetur, seque multis modis multoque tempore in persecutionem ipsis exarsisse, cum magna cordis contritione deplorat. Porro requisitus unde illi tam repentina compunctio et peccati sui recognitio accidisset, respondit se, licet indignum, eadem gratia suavissimi odoris, qua et cæteros perfusus fuisse, moxque ut doni celestis unctio cordis ejus intima penetravit, in odium malitiæ et amorem innocentie mirum in modum respirasse. Abbas audita quibusdam spiritalibus senioribus refert, et super tantis mirabilibus divinæ pietatis gratiæ Domino in commune referuntur. At vero frater ille, qui patientia sua inimicum hominem ad pacem converterat, et inimicum diabolum sub pedibus suis contriverat, locum in quo celestia mysteria cognoverat, tota aviditate revivens, cum devotissime stetit meminerat, ad confirmandam visionis veritatem mellifluis suavitate odorem, quem in ipsa visione senserat, lapides beata vestigia fragrantia sua representantes spirare lætus deprehendit. Quod ubi abbas ipso celerius nuntiantem comperit, assumptis secum quibusdam religiosiis fratribus, designatum locum cum metu et reverentia adit, quodque verbis audierat, rebus probans, suavitate quippe mirifici odoris naribus hauriens, communicato cum fratribus suis consilio, eosdem lapides erui, atque in sacrario, loco competentem, in memoriam tanti miraculi reponi præcepit. Ecce ad litteram, et quodammodo manu palpantes probare possumus beatos esse pacificos, quoniam filii Dei vocabuntur (*Matth. v*); cum e contrario sicut superiora hujus capituli declarant, etiam ii qui per religiosam vitam in numero filiorum Dei computati esse videbantur, si pacis et concordie vinculum in unitate fraternæ charitatis servare neglexerint, celsi nominis consortio priventur, si non ociosus ad pacis tranquillitatem, sine qua Deum nemo videbit (*Hebr. xii*), redire contendant. Oremus ergo Dominum, fratres, ut per sancti Spiritus sui dulcedinem, exstinguat in nobis discordie amaritudinem, rancoris et malevolentie pestes, per quas religiosi communi vita degentes quandoque graviter periclitari noseuntur, de cordibus nostris eliminet: quatenus omnes unanimes idipsum in invicem sentientes, tanquam filii Dei, cum simus filii pacis, habitemus in domo Domini omnibus diebus vite nostræ.

CAPUT XVI.

De periculo psalmos negligenter ruminantium.

Divini servitii quotidianam pensionem cum metu et reverentia summæ majestati nos exhibere Psalmista hortatur dicens: *Servite Domino in timore (Psal. ii)*. Quia vero imbecillitas cordis humani ad negligentiam ab adolescentia prona, facile in spiritalibus studiis tepescit, maxime ubi identitas fastidium generat, velut in cursu continuæ psalmodiæ, dignum duximus ad correctionem negligentium pandere, qualiter Dominus noster Jesus Christus per seipsum blasphemam negligentium eujusdam clerici corripere dignatus est, quatenus tanto propensius ad emendationem sui negligentium mentes evigilent, quanto sollicitius majestas corripentis pavido corde pensatur. Beatus Anno Colonien is archiepiscopus Sigeburgensis cœnobii fundator, ubi etiam sacri corporis ejus cineres gloriam futuræ resurrectionis præstolantur, quantæ sanctitatis, quantæ auctoritatis in Ecclesia Dei fuerit, cunctis historiam vite ejus legentibus liquet. Hic venerabilis sacerdos, si quando ab exterioribus negotiis liber, frequentia se subtrahere potuisset, psalmodiæ cum quodam clerico suo, quem sibi ad tam religiosum studium idoneum præviderat, attentius vacabat. Verum is, quem non devotio voluntarium faciebat, sed necessitas, ut reor, ad tam continuas odas persolvendas angariabat, identitatem pii operis pertæsus, cepit quandoque dimidia, nonnunquam vero etiam integra verba transilire, ita ut ad omnem gloriæ pronuntiationem, primæ tantum et tertiæ personæ mentionem faciens, mediam penitus reticeret. Cumque dies diei succederet, et hanc pessimam negligentiam, quia nullus advertebat, nullus corripere, sancto quippe pontifice in iis versibus, quos sibi sors alterna dabat, intensionem cordis figente, quadam vespera dum idem pontifex in lectulo suo gratia quietis se collocasset, antequam obdormiret, audivit quasi vocem hominis festinato negligenterque dicentis: *Gloria Patri, et Spiritui sancto*, atque idipsum secundo et tertio repetentis. Quod cum audisset, et quid sibi hæc vox portenderet, discernere nullomodo valeret, in somnum resolutus astitit, ille speciosus forma præ filiis hominum Dominus Jesus Christus: qui etiam manu protensa, duobus quoque in ea digitis, id est pollice et auriculari in volam replicatis, medios tres erectos tenebat; dehinc dexteræ manus indice alterius manus indicem tangens: « Ecce, inquit, Pater; » moxque medium similiter tangens: « En, inquit, Filius; » ad postremum vero annularem tangens: « Ecce, ait, Spiritus sanctus; » deinde subjunxit: « Cum itaque tres istæ personæ, quæ unus Deus sunt, pari honore ab universa Ecclesia colantur, quare blasphemias clerici tui non redarguis, qui ad omnem gloriæ decantationem, mihi, qui media in Trinitate persona sum, laudis honorem subtrahit? » Post hanc jucundam visionem evigilans sacerdos Dei, gratulabatur valde de visitatione tantæ majestatis: et quod in spiritu audierat, festinans aure corporis probare, accito post quietem clerico consuetæ cepit insistere psalmodiæ. Diligentius vero qualem in psallendo disciplinam teneret auscultans, comperit certissime, quod in singulorum conclusione psalmorum puniendi negligentia Trinitatem in dualitatem contrahens, personam Filii transiliebatur. Quem mox severa, ut dignum erat, correptione castigatum, ut æ cætero distinctus et devotius psalleret, sub gravi interminatione præcepit. Hic idem beatus antistes per virtutem illius qui revelat mysteria, raptus aliquando in spiritu, cognovit universas tribulationes et calamitates, quæ Ecclesiam Dei usque ad finem mundi oppressuræ sunt, rediensque ad se, non solum mente, sed et corpore, præ horrore visionis quam viderat, aliquanto tempore languit. Cumque a religiosiis viris obnixè rogaretur, quatenus mysteria quæ viderat, ad ædificationem fidelium pandere

dignaretur, hac tantum sciscitantibus se voce respondit: « Væ, væ, væ, universis angulis terræ, ab iis qui dicuntur episcopi rectoresque animarum, quorum doctrina et exemplo populus Dei informari debuerat, ut puram Domino exhiberet servitutem! » Cæterum, quam fugienda, quamque cavenda sit hæc periculosa negligentia, qua psalmorum, seu quarumlibet precum cursus, sine mente, absque devotione, festinando, atque dimidiata seu etiam integra quandoque verba transilendo perecurritur: liber quoque, qui *De miraculis beatissimæ Dei genitricis Mariæ* intulatur, manifeste declarat. Ibi enim invenitur, quod quædam virgo religiosa, secundum numerum psalmorum centum quinquaginta salutationes angelicas cum totidem veniis eidem Reginæ cœli matri misericordiæ singulis diebus offerebat; sed quoniam propter ipsam multiplicatam minus digna devotionem quam oporteret, id faciebat, admonita est ab eadem Domina nostra, quatenus recisis duabus partibus, quinquaginta sibi quotidie salutationes cum competentibus veniis intente et morose persolveret: patenter insinuans Deo et sibi acceptius fore, quamlibet parum servitii cum devotione, quam multum negligenter, et sine devotione exhibitum. Quid ad hæc respondere poterunt qui in multiplicatione precum seu psalmorum qualitercunque prolatorum confidunt qui in brevissimo temporis spatio quinquagenam, sive etiam psalterium integrum se percurrere gloriantur? Discant, quæso, his exemplis, non pensare Deum, quantum, sed quanto pietatis affectu quid in sacrificio ipsius offeratur, nec posse holocaustum dici quod totum flamma devotionis incensum non fuerit. Si quis vero ad tantam perfectionis celsitudinem per gratiam Dei excreverit, ut et multa et devote solvere valeat, huic, secundum Scripturam, lex non est posita (*I Tim. i*), sed sicut in hac vita imperfectorum vota transcendens et merita, absque tædio mentis et corporis bonum semen seminat, ita in futuro immensum pondus æternæ gloriæ tanquam stella multis sideribus clarior hæreditabit.

CAPUT XVII.

Quantum bonum sit servitium Dei in quotidianis vigiliis sollicite persolvere.

Eximius prophetarum, illustrissimusque patriarcharum et regum sanctus David, homo quem Dominus secundum eorum suum non tam invenit quam elegit, qui primus mortalium choros psallentium statuit, ad confitendum Domino quoniam bonus, quoniam in seculo misericordia ejus (*Psal. cv, cvi, etc.*), dispositionem domus Dei, itemque ordines et vices cantorum Salomoni filio suo tradens: *Omnia, inquit, venerunt ad me, manu Domini scripta*, perspicue demonstrans quia quidquid gratiæ, quidquid decoris et virtutis habet Jerusalem peregrinans in terris, atque sub onere carnis peccati gemens, totum hoc de plenitudine cœlestis Jerusalem quæ sursum, et ob hoc libera est, descendit, cujus participatio in idipsum, in cujus plateis dulcissimum Alleluia sine intermissione cantatur. Ad eujus utique exemplar terrigenæ et filii hominum charitatis, castitatis et innocentie sanctimonia ornati, laudum præconia Domino creatori suo sedula devotione persolvere conantur. Hanc divinæ laudis executionem, licet singuli quique fidelium in Ecclesia Dei pro modulo suo sectentur, vero tamen iudicio cæterorum Ordinum pensioni Cisterciensis Ordinis arduus labor in hac parte devotionis antefertur, cujus professi paulo post medium noctis, nonnunquam vero circa medium noctis ad vigiliam surgentes, spreteque dulcedine matutinalis somni usque ad solis ortum sic perseverantes in labore et ærumna, in vigiliis multis satagunt prævenire faciem Domini in confessione precum et laudum, dicentes cum Psalmista: *Propter te morte afficimur tota die (Psal. xliii)*; et: *Propter te verba laborum tuorum ego custodivi vias duras (Psal. xvi)*. Verum, quanti meriti sit apud om-

nipotentem Deum, in sancto et quotidiano servitio ipsius sollicitas servare excubias: itemque quanti periculi sit stationem vigiliarum sine necessitatis articulo deserere, gemino docebimus exemplo, quatenus ii qui fervore sancti Spiritus accensi, sacra psalmodiae carmen sapientes, onerosam prolixitatem non perhorrescunt, sed vivacitate vocis ac spiritus Deum laudare, cordaque purificare contendunt, testimonium operis sui laetis auribus audientes, in gratia Dei respirant; ii vero, qui aedia et somnolentiae vitio pressi, Deum non timent, nec homines erubescunt, servitii Dei jucundam fraternitatem facile deserentes, et ad requiem lectuli festinantes, quam crudelis tyranni dominio se subdant, perpendere non negligant, et ne atrocibus poenis post hanc vitam pro ipsa socordia sua crucientur, torporem pigritiae a se repellere terribili exemplo communiti curent. Cum sanctus, et omni spiritualis amoris dulcedine nominandus Pater Bernardus primus Clarevallensis abbas, monasticae religionis perfectionem, quam a Patre luminum, a quo omne datum optimum est, plenius et sincerius cunctis sui temporis hominibus didicerat, diversarum nationum populis tribubus et linguis transfunderet, et ex oblatione fidelium monasteria Cisterciensis Ordinis ubique terrarum missis fratribus exstrueret, rogatu venerabilis viri Auberti senioris, Moguntinae civitatis, quae est Germaniae prima metropolis, archiepiscopi, Everbacense coenobium duarum leugarum spatio a moenibus praefatae urbis distans, haud procul a ripa Rheni magni et inter omnes praecipui fluminis fundavit.

Haec itaque domus ad benedictionem tanti Patris validissimum incrementum sumens, optimeque matrizans, religione, divitiis, celebri fama, personarum probitate, praelatorum auctoritate grandique conventus numerositate, celsitudinem reverendae matris suae usque hodie aemulatur: ita ut in cunctis Germaniarum provinciis velut speciale religionis et honestatis speculum Everbacensis fulgeat Ecclesia. Sane vicini fideles, nec non et remotiores nonnulli, bono odore virtutum sanctae congregationis illius attracti, de plenitudine ejus consilii gravitatem, orationum suffragia, periculorum tutamina quaerere, et de abundantia sua pauperum Christi inopiam largiter supplere, praecipuas etiam solemnitates quidam devotionis intuitu illic agere, consueverunt. De quorum numero miles quidam armis strenuus, natalibus clarus, devotione non infimus, nomine Conradus, solemnem diem Purificationis beatae Virginis et matris ibidem celebrare, sacrisque vigiliis ob reverentiam tantae diei in longum valde productis a principio usque ad finem devotus interesse solebat, quatenus sanctae illius multitudinis precibus adjutus, exhortatione solennis sermonis recreatus, divinis missarum sacramentis munitus, lares proprios laetior repentens benedictionem domui suae reportaret. Licet enim saecularis vitae casibus irretitus, et ea quae mundi sunt cogitans, vitem fructiferam se non esse humiliter recognosceret, tamen velut ulmus promptissima vitem spiritualem cum suis fructibus temporalia impendendo sustentare satagebat. Accidit vero ut quadam vice urgentioribus rei familiaris occupationibus praepeditus ad praedictam festivitatem minus tempestive occurreret, ideoque profunda jam nocte cubitum vadens, dum ex lassitudine itineris fatigatus artus in lectulo collocasset, alto sopore depressus, signum vigiliarum, quo fratres ad divinas laudes persolvendas excitabantur, nequaquam audivit. Post horam expergetus, dum concentus melodiae in auriis ejus resonaret, celetius de lectulo exsilivit, veniensque in ecclesiam, in parte australi ejusdem ecclesiae, ubi hospites divinis interesse solent, coram uno de altaribus moestus consedit. Sedens ergo, negligentiamque suam recompensare volens, nitebatur sanctae devotionis, quae per totam ecclesiam illam, tam in cantibus

quam in orationibus certatim fervebat, aliquomodo particeps fieri, sed fallacia somnolentiae pressus, ad vigilandum et orandum se minus expeditum esse, dolebat. Unde sibimetipsi iratus, dum in longum extenderentur vigiliae, nunc quidem stabat, nunc vero sedebat; interdum etiam frontem et tempora manu fricabat, sicut quasi arte quadam somni violentiam evincere conabatur. Interim vero considerans, cum quanta alacritate vocum et mentium fratres divinis laudibus insisterent, simul etiam carnis suae imbecillitatem perhorrescens, non sine magnae admirationis stupore, sic quasi causando loquebatur ad Dominum, dicens: « Domine Deus, quae est haec tolerantia, ultra possibilitatem humanae fragilitatis extensa, qua fratres isti velut metas corruptibilis naturae excesserint, propter te morte afficiuntur tota die et nocte? Ecce enim cum in quotidianis vigiliis jejuniisque exerceantur, et insuper haec nocte vix aliquid somni ceperint, nihilominus cum tota alacritate spiritus tibi Domino creatori suo laudum vota impendere comprobantur. Ego vero miserabilis peccator, nec unius saltem noctis aliquantulum protelatas vigilias propter nomen tuum sustinere valeo, quas isti continuas propter praemium vitae aeternae se sufferre gloriantur, ita ut nullis omnino calamitatibus cedant, quominus ad eosdem rursus agones subeundos valentius inardescant. »

Inter has piae querelae meditationes parumper obductis palpebris in somnum, tenuem quidem, sed felicem, resolutus est; viditque duas personas caelestis pulchritudinis venustate conspicuas, monachico schemate reverendas, de choro psallentium ad se egredientes: quarum una quasi cogitationibus ejus respondens, ut eminentia laboris et vigiliarum in Dei servitio expensarum commendaretur, nequaquam naturali militis illius lingua, hoc est Germanica, sed versu latino eleganter composito litteras penitus ignoranti locuta est, dicens:

Talia posse pati soli meruere beati.

His dictis confestim excusso somno aperuit oculos, magnoque Dei miraculo verba quae audierat memoria retinens, gratias egit Deo; et licet vim dictorum nequaquam per intelligentiae acumen discernere posset, tamen boni aliquid sibi eadem portendere certissime sperabat. Reliquum ergo noctis propulsata viriliter somnolentia, quanta potuit devotione vigilando et orando transegit, magno desiderio aestuans et optans diem fieri, quatenus divinum oraculum sibi larga benignitate gratiae Dei revelatum, priusquam a memoria excideret, literato alicui revelaret, cujus adminiculo ad intelligentiam quoque dictorum pertingere valeret. Mane autem facto exspectata opportunitate loquendi priorem ejusdem loci virum valde religiosum secretibus adiit, quid vidisset, vel quid audisset, simpliciter pandens, postulatusque angelicum dicere verum, absque obstaculo linguae homo idiota et sine litteris sonabat verba Latina, iterumque repetebat: quotusque praecordiis prioris tenacius impressa, labilis memoriae fugaci levitate aboleri non possent. Mirandis plus miranda succedunt, et quia non propter se tantum mysterium hoc cognovisset, verum multo magis propterea ut quorum tolerantiam pia simplicitate mirabatur, eorum beatitudinis jucundus vates efficeretur, Dominus adhuc manifestius de larare dignatus est. Mox namque ut verba quae audierat, sed non intellexerat, intelligentis conscientiae communicavit, ipsoque interpretante vim dictorum comprehendit, recurrens ad armariolum memoriae vacuum illud prorsus invenit, nec unquam postea versus quem ad horam didicerat, ne minimam quidem syllabam exprimere valuit. Edificatus ergo multum in gratia Dei, et confortatus, conservatorem loci illius vere credidit esse Dominum, pensionemque annui census in eadem ecclesia professus est; quem etiam singulis annis, quoad vixit tempore, fideliter solvere curavit. Quisquis itaque

metu corporea fragilitatis excluso, cordisque pusillanimitate discussa, strenuum se atque devotum in servitio Dei exhibere contendit, beatitudinem et requiem caelestis patriae tanto fidelius expectet, quanto recentiori hoc miraculo Dominus arrham bonae spei fidelibus suis praerogare dignatus est.

Erat vero supra memoratus prior, nomine Meffridus, vir quantum ad Deum religionis eximia, quantum vero ad saeculum auctoritatis praecipua: qui etiam domum suam inter horribiles procellas schismatis, quod temporibus Alexandri papae factione Frederici imperatoris Ecclesiam Dei diutina evisceratio cruciavit, ne penitus destrueretur, mirabilis industriae providentia conservavit. Huic famulo Dei inter caetera charismatum dona, quibus feliciter pollebat, arcana quoque revelationum nonnumquam divinitus pandebantur; et sicut beatorum spirituum visitatione quandoque consolabatur, ita etiam malignorum spirituum larvalibus umbris, ut purgator redderetur, terrebatur. Erat autem in eadem domo juvenculus quidam Henricus nomine, Argentinensis natione, robustus, et vegetus corpore, sed spiritali macie foedus ac debilis corde, quales, heu! nostris temporibus multos videmus et dolemus, plus formidantes temporaliter macerari, quam gehennae supplicii deputari. Qui videlicet juvenis, licet in cunctis observantiis Ordinis segnitiei et inertiae a caeteris fratribus notaretur, gravior tamen in executione divini servitii delinquebat, quod modis omnibus negligebat, cum utique multis aliis validius id exsequi potuisset, si non sub ascella nimiae pigritiae manus naturalis vigoris occulisset; et insuper sacrarum vigiliarum collectam, quasi causa infirmitatis frequenter deserere solebat, atque ad repausandum miseram carnem cubitum ire non erubescibat. Hujus detestabilem negligentiam venerabilis prior paternae sollicitudine nunc quidem publice, nunc vero privatim, monendo, obsecrando, redarguendo, sanare cupiebat, sed frustra; ipso enim pluris aestimante carnis suae commoda, quam animae requiem, ideoque tanquam stultus aestimator rerum, pascibat sterilem quae non parit, et viduae non benedictebat (*Job xxiv*). Accidit interea, ut idem dissolutus frater laboris et disciplinae fugitans, stationem vigiliarum, sicut solebat, deserens, de choro exiret, quatenus infirmorum matutinis quanto brevius posset dictis, voluptati carnis suae cubitum se recollocando satisfaceret. Dominus autem volens ostendere sollicito priori, quam justo zelo moveretur, quantaque esset pernicies negligentiae, vel potius contemptus et superbiae fratris illius, aperuit oculos ejus; viditque, fratre ipso de stallo suo se movente, et ante gradum altaris modicum quid inlinante, ostiumque chori egredi festinante, teterrimum daemoneum collo ejus insilientem, ipsumque usque ad introitum infirmorii miris modis gesticulando atque cachinnando, ut verbo usitato inertiaeque digno loquar, equitatem. Post modicum vero de infirmatorio egredientis humeris ferus agitator rursus insilii, et tanquam vere irrationale jumentum capistro socordiae tractum, flagello turpissimae mollitiei usque ante spondam lectuli, in quo malo suo pausare gestiebat, minavit. O quam feliciter, quamque consultius stolidum hoc jumentum pii illius jumenti sanctam devotionem secutum fuisset, quod in simplicitate cordis sui dicebat Deo: *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum* (*Psal. lxxii*); quatenus sessorem potius habere meruisset illum qui ascendit super occasum, ad destruendum peccatum et statuendam justitiam; non eum, qui pro temporalis delectationis jucunditate, sempiternae calamitatis nexibus miseris illaqueat! Denique nullus corrigere valet eum qui timorem Dei neglexerit, miser ille optimi prioris quid de eo vidisset injuriantis monita spernens, claustralis disciplinae vigorem, nec saltem superficie tenuis tenere curavit; sed ingrati sessoris sui mortifera consilia

secutus Ordinem deseruit, factus apostata vilis, ut in falsis bonis vel potius corruptionibus hujus mundi duceret dies suos, et in puncto ad inferna descenderet. Sicut ergo superius exemplum labores et vigilias servitii non refugientibus incentivum devotionis fore speramus, ita nimirum necesse est ut hoc posterius teneris et delicatis, atque ad arduos labores invalidis, luctum et mororem cordis indicat: iis vero, qui cum robore valetudineque corporum ac vocum polleant, per turpissimam tamen inertiam laboribus pro Deo fatigari contemnant, timendum valde est, ne novissima eorum hujus, cujus miserabilem vitam, sed miserabiliorum apostasiam prodidimus, similia fiant.

CAPUT XVIII.

Quanti periculi sit vigilias servitii Dei tepide persolvere.

Caeterum de inertia et negligentia atque somnolentia in servitio Dei, nec non et de phantasia et illusionibus, quas tepidiores quique etiam in choro dormientes per immissiones daemoneum inviti patiuntur, subtilius et exploratius in revelationibus cujusdam servi Dei invenitur: quem in partibus Britanniae in domo quadam Cisterciensis Ordinis, quae Strata florida dicitur, habitantem, ad correctionem servorum suorum Dominus spiritu praevidentiae implere dignatus est. Qui videlicet famulus Domini, cum a diebus adolescentiae suae terrena despiciere et amare caelestia, sanctitatem quoque sacri Ordinis enucleatus observare contenderet, quadam solemnitate Pentecostes, dum ad sonitum horologii surgens matutinas Dominae nostrae psallere inciperet, repente quamdam novam et antea sibi inexpertam devotionem praecordiis suis illabi sentiebat: quae per extensum vigiliarum spatium magis ac magis incrementum sumens, mira alacritate interiorum pariter et exteriorum hominum ipsius reficiebat. Cum autem hymnus, *Benedicite, omnia opera Domini Domino* (*Psal. cii*), in quo omnis creatura ad benedicendum et laudandum invitatur, fratribus inciperetur, vidit carnalibus oculis angelum Domini per oppositam sibi fenestram cum magna claritatis fulgore in medium chori descendere, thuribulum caelesti thymiamate refertum in manu ferentem: qui inde versus altare progrediens, thurificabat illud, sicut in solemnitatibus ad missam fieri solet, indeque versus utrumque chorum lustravit; et monachis vigilantibus et psallentibus spiritualium aromatum vivificum vaporem offerebat. Cum autem psallentes chori ad versum illum, *Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu* pervenissent, angelus Domini per ordinem circueiens universos, jam ad fratrem, cui haec videre concessum fuerat pervenerat. Tum vero idem frater mira devotione pietatis succensus, tanquam cum Propheta diceret: *Os meum aperui et atraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam* (*Psal. cxviii*), totum se extendit, ut halitum attraheret, quatenus inclinans laudem Patri et Filio et Spiritui sancto ferventius decantaret. Angelus vero Domini carbonem ardentissimum atque lucidissimum duobus digitis de thuribulo tollens, in os anhelitum trahentis projecit; qui per totum corpus ejus descendens, omnia interiora ejus suavissimo ardore succendit: ita ut ex sententia dicere posset cum propheta: *De excelso misit Dominus ignem in ossibus meis* (*Thren. i*).

Itaque ardorem carbonis desolatorii salubriter in eo vitia consumens ferre non valens, pallidus et exsanguis in terram corruit: indeque delatus in infirmatorium, tribus diebus ibidem sine voce et sine motu tanquam mortuus permansit. Post triduum vero eadisper hora qua raptus fuerat, ad se reversus, ab omni carnali corruptione quae animam aggravat, illo igne quo feliciter arserat, in tantum purgatus est, ut

absentia quasi præsens spiritualibus oculis videret; tentationes etiam monachorum domus suæ, quibus vel vigilantes vel dormientes vexabantur, ediceret, modumque et causas earum exponeret, ita ut multi ex fratribus purioris vitæ sanctimoniam exhortationibus ejus provocati æmulerentur. Dicebat præterea, singulis quidem noctibus, maxime autem Dominicis et festivis, nimiam multitudinem dæmonum in choro psallentium fratrum convenire, quorum execrabile officium non erat aliud, nisi multis et variis modis fratribus illudere, eorumque mentes ab intentione servitii Dei avertere, pigritantibus quoque et dormientibus malignissimis applausibus et cachinnis insultare, de dormiente ad dormientem gyrovaga pernicitate ire et redire. Habebant vero in capitibus suis caputia quædam veterum pannorum sordidissima et nimis fetentia, interius et exterius quasi sanie scabiosorum ulcerum perfusa, sub quibus abscondebant larvales facies suas, quasi timentes agnoscere, venientesque ante unum quemlibet de monachis, callidissima exploratione observabant utrumnam vigilaret, an dormiret. Quod si dormientem eum reperissent, omnem continuo fetorem et corruptionem putridi caputii sui in vultum illius exercebant, conclamantesque quasi ad signum plurimi coram illo conveniebant, et quandiu dormitabat, phantasmata et turpia somnia illi immittentes non recedebant. Sane quos vigilantes et psallentes advertebant, a facie illorum, velut a facie ignis fugiebant, ita ut halitum qui de ore cantantium, Deumque laudantium procedebat, ferre nullatenus possent. Quia ergo consummata beatitudo et felicitas nostra in vita æterna erit Dominum ac Creatorem nostrum non solum sine labore, verumetiam cum summa voluptate perpetuo laudare, antequam claudantur in morte oculi nostri, et lingua, quæ ad laudandum Deum creata est in pulverem religatur, seminemus, licet cum labore, bonum semen servitii Dei; tempore enim suo metemus, inenarrabili lætitia exsultantes, sicut e converso hi qui nunc spinas et tribulos tepiditatis et negligentie in terra carnis suæ seminare non metuunt, ignem et supplicium in ultionem prævariatricis conscientie metent, quando iidem maligni spiritus inertie suosores tormenta puniendis atrociter cumulabunt, qui nunc desideres voluptate carnis suæ enerviter victos, ad pausandum illicere non cessant. Porro auctoritas libri, qui Vitæ Patrum dicitur, his quasi recentioribus, et ob hoc, ut videtur, minus authenticis revelationibus, in firmamentum et astipulationem veritatis non immerito assumitur. Ibi enim invenitur scriptum quia, cum malignus spiritus cuidam sanctorum Patrum dixisset, se cum complicitibus suis vigilis fratrum frequenter interesse, illeque Dominum orasset, ut sibi veritatem hujus rei pandere dignaretur, veniensque ad collectam fratrum, vidisset dæmones velut Æthiopes per totam ecclesiam discurrentes, atque universa quæ fratres orantes et psallentes in cordibus suis versabant, per phantasias in oculis suis figurantes, sicut postmodum ex confessionibus singulorum patuit, animadversum esse vanas, et perversas cogitationes mortiferasque delectationes, quas fratres in hora divini servitii patiuntur, dæmonum suggestionibus fieri. Quapropter in spiritu contrito et corde humiliato necesse est exclamare cum Psalmista: *Ne tradas, Domine, bestiis animas confitentis tibi; et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem* (Psal. LXXIII).

CAPUT XIX.

De periculo religiosorum molliter in hac vita viventium.

Quam vero metuendum et tremendum sit examen ignis purgatorii, ubi Dominus, secundum Prophe-

tam, *abluit sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem lavat de medio ejus spiritu judicii et spiritu ardoris* (Isa. IV), sicut et ipse Dominus per alium prophetam testatur, dicens: *Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaverant* (Joel III); et sicut item propheta de Domino dicit, quia *ipse erit quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum: et sedebit conflans et emundans argentum, purgansque filios Levi* (Malach. III), utinam attenderent ii, qui in levitatibus et negligentibus atque somnolentia non timent perdere dies suos. De hoc metuendo examine in quadam collectiva legisse me memini quod monachus quidam in extremis agens, antequam decederet raptus est in spiritu, ductusque ad loca infernalium, vidit (quod sine horrore referre non possumus), animas scilicet multas veribus et contis acuminatis infixas ad rogam permaximum, in modum anserum torreri et assari, ipsosque crudelissimos tortores cum sufflatoriis aliisque ignis instrumentis miserarum tormentis totis visibus exaggerantes. Alii vero patellas et sartagine ignitas de subter jacientes ponebant adipemque qui de ardentibus jacentium membris fluebat diligentissime colligentes, eundem rursus bullientem et nimis ferventem super eos, a quibus fluebat, refundebant: quam poenam cæteris cruciatibus intolerabiliorem eis esse considerabat. Post hæc ductus est ad quemdam refrigerii locum, ubi multitudinem animarum quasi post gravem aliquem laborem quiescentium invenit, interrogatusque ab angelo ductore suo si sciret quæ hæc essent, se nescire respondit. Sanctus vero angelus dixit ei: « Hi quos vidisti ad ignem illum permaximum assari, homines sunt Ordinis tui, qui, licet criminalibus peccatis se nequaquam fodaverint, non tamen, sicut monet Scriptura, servire Domino in timore et tremore curarunt, non disciplinæ censuram tenere, non quietis et silentii patientes esse, denique vigilarum et orationum solemnem devotionem, neque laboriosam psalmodiæ executionem strenue, sicut oportet, æmulari studuerunt, sed magis curiosi, faceti, vagi, superflui, desideres, pigri, somnolenti, signis, jocis et levitatibus indulgentes, monasticæ professionis puritatem violare non timuerunt. Qui postquam æquissimum justis iudicis Dei sententiam, in supra visis poenis, alii brevius, alii prolixius pro antiquitate seu qualitate excessuum suorum purgati fuerint, mediante gratia Dei in hunc refrigerii locum introducuntur: atque hic post horrenda illa supplicia pausantes, perfectionem beatitudinis suæ cum patientia prætolantur. » Luce ergo constat clarius, revelationes hujusmodi per divinæ pietatis dispensationem tanto magis crebrescere, quanto magis finis mundi appropinquat, ut quoniam abundante iniquitate et negligentia refrigerium charitatis multorum, tanto electi Dei per hoc incentivum charitatis habentes, incalescant animis, quanto is in proximo venturus esse putatur, cujus faciem totius boni præcedit egestas. Quid vero per hoc nobis innuitur, quod prædictus frater vidit tartareos focarios adipem diligentius collectum, super eos a quibus stillabat in augmentum supplicii refundere, nisi hoc quod quanto quis contra professionem suam in hac vita sibi pepercit, voluptati carnis suæ per inordinatæ quietis pinguedinem satisfaciendo, tantum in altera vita locis purgatorii deputatus suppliciorum solvere cogetur? Sic nempe de purpurata illa meretrice, quæ calice carnalium voluptatum, et vino sæcularis pompæ inebriat omnem terram, Dominus per Prophetam dicit: *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum* (Apoc. XVIII).

Quocirca ad vocem tonitruum hujus evigilemus, fratres, et intentis animis audiamus quid etiam inter monachos perfectissimus, et inter Patres reverendissimus, Pater noster B. Bernardus, de quotidianis istis et valde perniciosis negligentibus nostris sentiat, qui in sermone (43), quem de vita et moribus

CAPUT XX.

De periculo eorum, qui in servitio Dei lascive vel plausibiliter cantare præsumunt.

Ecce vero dum considero qualiter vir propheticus miseriam et nimis superstitiosam quorundam tenaciam reprehendit dicens: « Non parentes vocibus, non remissis vocibus muliebri quiddam balba de nare sonantes (45): » occurrit memoriæ terribilis casus, quem referente viro venerabili abbate Morimundi, cuidam talium accidisse cognovimus. Sunt namque nonnulli, quibus etsi largissime fœneret Dominus instrumenta laudis suæ, ipsi tamen parcissime fœnerant Domino, prompti magis de eisdem instrumentis querere gloriam hominum quam gloriam Dei, et cum parentes vocibus quotidianum psalmodum et hymnorum cursum prorsus negligant, ne forte acumen vocum retundatur, si tempus et opportunitas gloriandi in se et in vocibus suis arriiserit, continuo validos, gnaros et expeditos se ad cantandum, et in excelsum voces tollendas, esse demonstrant. Dicebat ergo præfatus abbas, fuisse monachum quemdam in uno de cenobis Cisterciensis Ordinis, qui dono nobilissimæ vocis exsultans, vigorem ejus in communi labore servitii Dei expendere dedignabatur, sed magis propriam gloriam captans festiva quæque responsoria, quæ pro singulari privilegio vocis suæ ipsi assignabantur, lætus, sed non timoratus; hilaris, sed minime devotus, solemnizando cantabat. Factum est autem in quadam festivitate Domini, ut in omnibus, qui communiter a conventu fratrum ad laudem Dei decantabantur, velut mutus et elinguis staret, ut verbum responsorii sui non plane in gravibus, sed in acutis, vel potius in acutissimis, vocem quatiendo modulosque tinnulos flexibilitate vocis formando, solita lascivia decantaret. Quo finito, ut a quo merces ridiculosi cantus speranda esset, intelligeret, tam ipso quam cæteris qui circa eum erant videntibus et audientibus, apparuit dæmunculus in modum puerilli Æthiopsis teter et fuscus, qui manibus impuris plausum faciens, et miro modo cachinnans, exclamavit dicens: « O, o bene, valde bene cantavit, optime cantatum est. » Noverit ergo quicumque gratiam jucundæ vocis a Deo accepit, horribile malum esse inde dæmonum malitiam pascere, lascive et plausibiliter cantando, unde Deum honorare debuerat, devote et humiliter jubilando: ideoque summopere nitendum est quatenus secundum medioritatem quam nobis sanctus Ordo noster præscribit, nec non et secundum auctoritatem, qua Regula quam professi sumus, nos instruit, et singuli specialiter, et omnes in commune pariter, cum gravitate, cum timore et tremore, atque cum humilitate psallamus et cantemus Deo nostro. Certe ironia diabolicæ nequitie, vel maxime, vel sola ruborem et suffusionem vultus nobis incutere, atque ad cautelam nostri nos excitare poterat: sed quoniam dura corda hominum plus reverentur testimonium spiritus veritatis, quam subsannationem spiritus fallacis, quid etiam nostris temporibus eximie religionis et specialis abstinentiæ sancta quædam virgo, de hac lascivia cantus divina revelatione instructa prodiderit, non tacebimus. Cum enim dominus abbas Cisterciensis, qui est pater patriarchalis totius sancti Ordinis nostri, ad eam gratia visitationis aliquando venisset, inter dulcia æternæ vitæ colloquia, cœpit abbas attentius rogare quatenus eadem Dei famula divinitus sibi revelari deposceret quid in Ordine Cisterciensi puritati veræ religionis magis contrarium per negligentiam irrepisset. Illa vero post acceptas inducias, fusasque ad Dominum preces, ita respondit: « Sciat, domine Pater, tria esse in Ordine vestro, quæ specialiter oculos summæ ma-

(43) Exstat post sermones de S. Andrea.

(44) Habetur nunc hic locus sermone 47 in Cant.

(45) S. Bernar., serm. 47 in Cantie.